

tè convincunt. *Cornel. à Lapide* ad h. l. intelligit mortuos, tam in præ-
senti quàm in præterito & futuro; adjicitque, ut quis moriatur in Domi-
no, vivere ante debere in Domino.

§. V. Nunc cum status mortis, communis sit piis & impiis, mor-
tui hic dicuntur *οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες*, qui in Domino moriuntur.
Dominus iste non est alius, nisi Dominus noster Jesus Christus, Domi-
nus dominantium 1 Tim. VI. 15. Apoc. XVII. 14. XIX. 16. Dominus Gloriæ,
1. Cor. II. 8. Princeps vitæ Act. III. 15. Dominus de cælo, 1. Cor. XV. 47. Con-
veniunt autem huic phrasi formulæ loquendi de promptæ ex 1 Cor. XV. 18.
19. *οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ* & 1. Thess. IV. 14. 16. *οἱ κοιμηθέντες ἀπὸ
Ἰησοῦ*, & *οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ*. Tū in Domino mori, *Beza*, *Junius* & *Piscator*
reddunt: *Dominici causa*, seu propter Dominum mori, ut *ἐν Κυρίῳ* idem sit,
quod *ἀπὸ τοῦ Κυρίου*; adeoq; martyres solum designari ajunt, qui pro veri-
tate Christiana se occidi non restiterunt. De quibus prolixè *Gatakerus* in
Animadv. Patrocinantur huic sententiæ *Æthiops*, *Medus*, *Brighton* & *Grotius*,
ita reddens: *qui Christi causa pericula adeunt*; ut adeò indigitet vox mor-
tem figuratam, afflictionem nō ob Dominum. Addunt porro ad proban-
dam opinionem, ita particulam *ἐν Κυρίῳ* usurpari Matth. VI. 17. Rom. XVI.
2, 8, 12. 1 Cor. XV. 19, 31. Galat. I. 24. Eph. III. 13. IV. 1. Colof. II. 16, &c. Adjici-
tur à *Beza* supra denominatio, interpretationem Vulgati & *Erasmii*: *in Do-
mino*, esse admodum obscuram, & jubet conferre phrasin τῶν ἐσφαγμένων
ἀπὸ τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπὸ τῆν μαρτυρίαν ἣν εἶλον, ex Δρῶς, VI. 9. Hoc
subsidiū quærunť etiam in textu nostro hodierni *Millenaristæ*, hypothe-
sin de martyrum resurrectione prima & regnum ante finem mundi mille-
narium, amantes; sed admodum ineptè. Pergit *Hugo Grotius* adhuc ulte-
rius, quando id τῷ mori Hebræorum respondere putat, qui sic particulam
⊃ usurpent, nim. Genes. XIX. 28. XXIX. 18. 20. Hof. XII. 13. Mich. III. 11 &c.
quæ loca ante *Grotium* jam adduxerat *Ribem*. Sed in hæc diverticula &
ambages veniendum nobis non est. Manendum in clarâ literâ & alibi
consuetâ interpretatione τῶν: *in Domino*, quam indigitat probatque *B.
Gerhardus* ad h. l. *Particula ⊃ vel instrumentum designat, vel subje-
ctum, aut aliquid habens speciem subjecti, in quo. Instrumentum h. l.
significari absurdum. Ergo subjectum denotatur, ut longè præstite-
rit conferre cum his phrasibus Rom. XVI. 12, eos, qui sunt in Domino
& laborant in Domino 1. Cor. VII. 22, qui in Domino vocatus est servus,*
vers 39.